

TENTAMINIBVS RECENTIORVM
PHILOSOPHORVM AVCTORITATE SACRI
CODICIS HYPOTHESES SVAS CONFIR-
MANTIVM NVPER EXPOSITIS
QVAEDAM ADDIT

ET

ORATIONES
IN FRANCISCANEO
MISENENSI

D. XII. MAI. A. R. S. MDCCL.

H. L. Q. C.

PVBLICE HABENDAS

PERREVERENTER INDICIT

M. ANDREAS CHRISTIANVS CLEEMANNVS,

RECTOR.

DRESDAE, LITERIS HARPETERIANIS.

52

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
THE DIVISION OF THE PHYSICAL SCIENCES
THE DIVISION OF THE BIOLOGICAL SCIENCES
THE DIVISION OF THE SOCIAL SCIENCES
THE DIVISION OF THE HUMANITIES

ORATIONS
BY
THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PUBLISHED BY THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO, ILLINOIS, U.S.A.





Nihil sæculi nostri philosophis usitatius esse atqve solemnius, quam ut in confirmandis hypothesibus suis ad sacrarum litterarum monumenta tanquam ad ancoram quendam sacram confugiant, nuperrime exemplis quibusdam collustravimus. Quum vero plura adhuc supersunt commemoratione digna, non possumus non, quin eorundem mentionem breviter hic injiciamus.

Prius tamen, quam filum illud, quod exorsi sumus, jamjam protrahamus, e re nostra erit, pauca præmonere, quæ tam ex ipsa hypothesium indole & natura, quam ex earundem cum sacris litteris facta comparatione sponte fluunt, iisque prodesse possunt, qui de eorum probabilitate æquum ferre volunt iudicium.

Scilicet philosophorum hypotheserum quæquam ex primis rerum principiis haud possunt elici, sed ad eas tantum referuntur veritates, quæ probabiliter nituntur ratione, nec omni nos liberant formidine, annon sententiæ his oppositæ locum quoque obtineant: recte tamen ad naturæ *φαινόμενα* explicanda tamdiu adhibentur, donec clarius demonstratum est, easdem vel sibi vel aliis positionibus, quarum veritas evicta jam est, repugnare vel saltem non sufficere, ex quibus omnia effecta naturæque arcana interpretando queant derivari.

Qui itaque in his philosophorum sententiis examinandis versantur, in ipsam earum imprimis descendant naturam, solerterque inquirant, necesse est, possintne fieri etiam ac mente concipi, an potius sibi met ipsis repugnent. Quotiens enim accidit, ut, quæ primo aspectu per omnia inter se cohærere placideque conspirare videntur, re profundius explorata, hiulca sint, absona sibi que contraria. Quod ubi perspectum nondum est, ridiculum omnino ac supervacaneum foret, si quis hypothesium artifex ad sacrarum litterarum propugnacula decurrere velit. Nescio, an huc ea referenda sint, quæ ingeniosissimus a) Meierus proxime de brutorum ratione nec non singulari post mortem felicitate commentatus est. Id saltem inficiari non possumus, doctissimum b) Plitt argumentis variis docuisse ex ipsius animæ brutorum animantium vi & natura desumptis, viri hujus hypothesin singulari rerum repugnantia sua destrui adeoque nec sacris, ad quas provocat, tabulis reconciliari posse.

Quum præterea veritatum omnium insignis est cohærentia, ita ut altera alterius rationem in se semper contineat: tantum abest, ut admitti possit hypothesis, quæ quamvis sibi constet, aliis tamen necessariis certisque rationis sanæ veritatibus adversatur, ut potius dissensum hunc pro evidentissimo falsæ vanæque opinionis indicio nunquam non habuerint philosophi. Cavendum autem est, ne æternis his minusque dubiis humanæ rationis veritatibus adscribamus, quæ tales non sunt. Harmoniæ, quam dicunt, præstabilitæ propugnatores explodunt ac damnant, quicquid alii de influxu suo physico in medium proferunt, eo adhibito argumento, quod explora-

- a) v. ejus libr. Versuch eines neuen Lehrgebäudes von den Seelen der Thiere.
 b) v. ejus librum, qui priori anno Castellis editus est & qui inscribitur: Prüfung derer Gründe, womit Herr George Friedrich Meier ic. die Vernunft der Thiere in diesem und jenem Leben erweisen will.

ploratissimæ veritati reconciliari haud queat, quæ pro certo ponendum sit, c) unam eandemque motuum quantitatem, seu ut alii loquuntur, easdem semper vires motrices in hoc terrarum orbe esse & conservari. Sed eadem nuper via incesit doctissimus d) Darjes harmoniæ hujus firmamenta subtriturus. Unde quæso hæc-
ce discordiarum moles? Procul dubio ex eo nascitur, quod alterutra litigantium pars ad necessarias refert veritates, quæ ad hanc classem referri non possunt. Abripiuntur sæpe hæc in devia citato quasi gradu, qui nescio quem dissensum rationis & sacri codicis committuntur. Exempli loco esse possunt, quæ aliquot abhinc annis e) personatus quidam scripserat effutivit, qui, ut Elisæi miraculo illustratus, tanto speciosius monstraret, ferrum suapte natura aquis innatare nunquam ne Dei quidem interventu posse, pro certo supponit, gravitatem in ipsa ferri *et alia* sui habere rationem adeoque non nisi destructa ejusdem vi, vel, ut ira loquar, essentia ab eodem fecerni posse, quod tamen tam insulse pro explorato certoque habetur, ut potius acutissimi philosophorum contrariam semper huic sententiam amplexi sint.

Quæ hic de veritatibus asserta sunt & exposita, quas suo ex penu humanum promittit ingenium, iisdem etiam accommodari possunt ac debent, quæ divinitus manifestatæ & concessæ sunt hominibus. Quoriescunque ergo luculentius demonstratum est, philosophi cujusdam opinionem, quantumvis colorata sit multoque su-

A 3

CO

- c) v. Bülfingerum de Harmonia præstab.
 d) v. Darjes Anmerkungen über einige Lehrsätze der Wolffischen Metaphysic p. 40. qui liber ab aliquo ejusdem auditore an. 1748. in lucem emissus est.
 e) in pessimo libro: Vernunftmäßige Betrachtung derer übernatürlichen Begebenheiten ausgefertiget von einem Freunde der Wahrheit. Amsterdam 1743. cujus viri strophas & cavillationes discussimus in Sched. de arctissima rationis & codicis sacri consensione in l. 2. Reg. VI. s. 6. 7.

co splendida, ea sufflaminare atque invertere dogmata; quæ claris verbis sacris in his tabulis docentur: toties nulla suffidemus. Nemo non tamen intelliget, sacra hæc oracula ex Spiritus sancti intentione ita etiam esse interpretanda, ne dissensum extorqueant, ubi vere nullus est, vel saltem esse videtur. Cujus erroris potissimum postulandi sunt, qui Copernici hypothesin de terræ motu & circa axem & annuo sacri codicis dissensu intempestivo quodam acti imperu oppugnarunt. Quam turpiter vero se hi viri deriderint, præter alios f) Zimmermannus singulari in libro præfatum commonstravit.

His addendum quoque est, mirabilem sane cœlestium veritatum esse fecunditatem, ita ut ex una complures ratiocinando tamquam ex limpidissimo quodam fonte derivari possint. Quæ quidem consequentiæ legitimo modo ad rationis leges deductæ cum æque certæ & divinæ sunt ac illæ, ex quibus sequuntur, veritates: facile efficitur, quamlibet hypothesin omni plane destitui probabilitatis specie, ne dicam prorsus corruiere, quæ iisdem aperte est contraria. Facebant itaque philosophi, qui adeo rerum sacrarum incuriosi, sua quidem ita fingunt refinguntque, ut quædam iis intercedere videatur cum sacris oraculis consonantia; ast si totum christianæ doctrinæ concentum perspicias, hunc suavem amicumque doctrinarum nexum figmentis suis turbent ac dirumpant magis, quam firment.

Quemadmodum vero ad frigidas atque inanes philosophorum referimus sententias, quibuscum neque ea, quæ *κατὰ τὸ ἔνθεν* in sacris continentur litteris, neque etiam, quæ ratiocinatione ex iis colliguntur, constare possunt: ita e contrario haud parum probabilitatis hypothesi cuius accedit, si non tantum sanctissimis his doctrinis amice responderet, sed etiam ad collustrandas atque confirmandas cœlestes

f) v. ejus libr. scriptura copernizans.

lestes has veritates aliquod momentum affert, ita ut sui rationem in iisdem habere videatur. Quo arctior itaque hæc est consensus, quo major veritatum numerus, quibus conciliari potest, quo luculentius, facilius, & certius ostenditur, hunc nexum nec e mentium nec vi ulla extortum, sed nativum quasi esse suaque sponte enatum, ac quo propius religionum nostrarum fundamenta contingunt veritates, quibuscum amico quodam vinculo conjuncta est: eo præstantior, nobilior & verisimilior etiam erit hypothesis.

Firmissimum denique ad muniendam hypothesisum probabilitatem argumentum est, si ex iis quolibet rei effectus perspicue explicari possunt. Adnumeramus autem his non ea tantum, quæ in physicorum scriptis relata legimus rerum phaenomena, sed quæ etiam multis in locis sacri codicis consignata sunt. Cum enim de naturalium rerum veritate nulli dubitamus, quas philosophi experientia optima mortalium magistra edocti memoria prodiderunt: cur non jus illud sanctioribus litteris vindicemus, quod tam larga manu profanis scriptoribus concedimus. Commemoratu digna sunt, quæ hanc in rem nuperrime commentatus est doctissimus g) Crusius. Ita vero ille: Wenn man Nachrichten aus den weltlichen Geschichten in der Natur Lehre brauchen darff; warum will man nur den Nachrichten, welche uns GOTT selbst giebt, das Recht absprechen, daß sie zur Beförderung der natürlichen Erkenntniß gebraucht werden können? Absit tamen, hæc dum scribimus, ut iis adstipulemur, qui miracula quæque Dei legatorum enervaturi pessimo hoc consilio portenta sua sententiarum sacris inferunt litteris, ut earum ope ex naturæ viribus explicent, quæ easdem tamen longe superant.

Sed redeamus jam ad eas hypothesis breviter recensendas, quarum & præstantiam & singularem utilitatem sacrarum litterarum auctori-

g) v. ejus: Anleitung über natürliche Begebenheiten, ordentlich und vorsichtig nachzudenken, & quidem in præfatione huic libro præmissa.

toritate nostris quidem temporibus confirmare quarunt philosophi. Suo quisque & hic utatur iudicio. Nostrum enim non erit, de his rebus constituere, sed commemorare tantum, quæ fiunt ac quæ facta sunt.

Jam diu omnino est, quod viri eruditi animalium explicaturi ortum, quæque ex ovo nasci docuerint. Adducti sunt hanc in sententiam Lewenhockii maxime aliorumque observationibus microscopicis insectorum ovula in putrefactis etiam carnibus detegentium. Videtur tamen non tam recens inventa quam ex antiquitate renata atque resitura hypothesis, siquidem h) Orpheum jam eandem esse secutum ex multis haud subobscurè colligitur. Quam idonea vero hæc de naturali per imprægnationem ovuli muliebris conceptione sit sententia ad multa sacrarum litterarum loca rite intelligenda, plurimis verbis docere annitur i) Carpovius. Existere jam stamen hominis, ut loquitur, sive in ovulo materno sive in virili semine nec aliqua hic hominis formatione esse opus ex Psal 139. colligit, ubi Davides מְלֵךְ suum, cum a matre conciperetur, Dei jam oculos vidisse asserit. Vox illa, quæ a מְלֵךְ involvit, derivatur, glomum involutum denotat, cujus instar stamen hominis singulaque ejus partes in forma subtilissima involuta contineantur. In primis singularem sententiæ suæ utilitatem præluere arbitratur in servatoris nostri miranda conceptione rite explicanda. Postea enim, quam exposuit, quot quantisque premantur difficultatibus, qui conceptionem hanc per separationem massæ sanguineæ miraculo quodam ac ope spiritus sancti factam esse docent, ex hypothesi sua quæque ad convenientiam cum naturali conceptione servandam ita interpretatur, ut ex loco Jeremiæ 31. v. 1. argumentetur, stamen corporis Christi in ovulo Mariæ a Deo sine alio interventu miraculo quodam esse procreatum. Reliqua, quæ in hanc rem asseruntur, tacere quædam

h) v. Plutarch. Plac. philos. libr. II. cap. 13.

i) v. ejus Syft. Theolog. T. II. P. I. C. II. §. 158. seqv.

quam proferre fatius ducimus. Sufficit monstrasse, nec huic sententia suos defuisse vindices, qui, quicquid desiderari possit probabilitatis, ex sacris his tabulis arcessere quaesiverint.

Neque ea hic silentio praeterire possumus, quae priori anno Meierus singulari in libro supra adlegato de brutorum animabus in medium protulit. Fugit sane neminem, k) Rorarium jam duobus libris contra Cartesii amicos quaslibet brutorum animas in machinas commutantes evincere voluisse, animalia bruta ratione uti melius ipso homine. Idem fere ad propositum exequendum se nuper Meierus accinxit, ita quidem, ut non solum rationis usum vindicet animantibus, sed quod *παράδοξότερον* est, variis argumentis etiam evincere non dubitet, eadem bruta post mortem aliquando eo perfectionis evectum iri, ut in classem spirituum cooptentur. Nihil ad amplificandam summi numinis gloriam ejus ex opinione accommodatius est, quam si tot bruta recto rationis usu instructa perspiciant ac demirentur magnifica & illustria summi creatoris opera. Quin imo hac admissa hypothese, omnes, eo teste, dispelluntur difficultates alioquin inexsuperabiles, quibus distorqveri solent sacri codicis interpretes, de vero l) effati Paulini sensu solliciti: *ἡ γὰρ ἀποκατάστασις τῆς κτίσεως τὴν ἀποκάλυψιν τῶν υἱῶν τῆ θεῆ ἀπεκδέχεται*. Objecit se his praceptoris sui conaminibus doctissimus m) Plitt tam modestia quam eruditione singulari. Ex ipsa vi & natura animae brutorum argumentatur, prorsus eidem repugnare notionem rationis nec locum unquam habere posse hanc commutationem eorum, cum rerum *εἶσα* necessaria, aeterna ac immutabilis sit. Repugnare etiam ipsis

B

sacra-

k) prodiit ejus scriptum cum praefatione Naudaei Paris. 1642.

l) Rom. VIII. v. 19. Qui clarius vult intelligere, quam liberalia promptaque hominum sunt ingenia in interpretandis vel detorqvendis potius sacris litteris, Lilienthalii archivarium biblicum adeat, nec non Wolfii cur. philol. qui ad hunc locum complures interpretum conjecturas collegerunt.

m) l. c.

facrarum litterarum pronuntiatis, in quibus bruta expressis verbis dicantur n) *αἰροῦσα* Nihil itaque proficere, qui *ἀσύστατα* hac ad explicanda Pauli verba adhibere velit.

Quamquam omnia, quæ de cælestibus illis mentibus, quas angelos vocamus, dici possunt, ad philosophos haudquamquam pertinent, sed ex sacris tantum litteris haurienda sunt: multa tamen in hac rerum universitate accidunt, de quorum causis ex naturæ ordine deducendis plane desperarunt philosophi, nisi iisdem liceat, ad singulares ejusmodi mentes confugere, quarum consilio ac viribus mirabiles hos casus rerumque effectus tribuant. Veniunt hic ea nobis in mentem, quæ o) Baelius de Newtono, magno rerum naturalium investigatore, commemorat, certiozem se aliquando factum esse a docto quodam anglo; *que Ms. Newton parache fort a croire, qu'on ne peut rien expliquer en physique par les seules loix du mouvement, & qu'elles sont par tout dirigées par des intelligences particulieres.* In his rebus numerat potissimum præclarissimus p) Strodmanus animi præsentis divinationes, quibus quæ futura sunt, sæpius præsentiant ac prævident homines. Probat singularium exemplorum inductione, non imaginationis perversæ deliramentis commode adscribi posse, quæcunque viri eruditi suis in libris collegerunt futuri mortisque præfagia. Nobis magni utique momenti esse videntur, quæ non ineptus quidam Cardanus aut alius inanum specierum machinator, sed phi-

n) 2. Petr. II. v. 12. Quæ auctor libri: Amusement philosophique sur le langage des betes, quem Gallum Bonieau esse ferunt, de bestiis nuper excogitavit, eorum scilicet corpora a diabolis animari, vix digna sunt, quæ afferantur, quamquam jactitare haud erubescat: J'en trouve les fondemens dans la religion meme &c.

o) dans la lettre CXXXXIV.

p) v. ejus script. Versuch von den Wirkungen der guten Engel, P. I. C. VI.

philosophus isqve acutissimus q) Reinbeckius assert, suoqve experimento confirmat. Argumentis itaqve diligenter excusis, quibus has divinationes alii infringunt, ad cœlestium spirituum instinctus confugit Strodtmannus, eaqve præfagia tutelæ atqve præsidii studii adnumerat angelorum, quibus mortales defenduntur. Tuetur se quoqve r) exemplo conjugis Pilati, quæ multa per quietem passa animi sui præfagientis divinatione eo ferebatur, ut saluberrimis marito succurreret consiliis. Copiosior sane, quam quæ hic repeti posset, argumentorum est expositio, quibus docet, neque ipsi Deo neque pessimis ex orco genis neque manibus neque etiam corruptis imaginationis viribus hanc Pilati conjugis divinationem esse tribuendam. Id saltem addimus, nec aliter eum de somniis sentire, quibus rerum eventus sæpe ab angelis homini significetur, cujus rei rationem ex Gen. XXXI. v. 11 & Matth. I. v. 20. II. v. 13. 19. repetit.

Quæ quidem dum mittimus, Ornatissimorum quorundam juvenum studia suis celebranda sunt laudibus, qui de solida rerum divinarum humanarumqve cognitione solliciti, ex utroqve rationis sanæ ac codicis sacri fonte sua haurire quæsierunt. Quorum sane in numerum reponimus

Julium Leberecht Altenavium, Staucha Misn.

qui naturam nactus faultricem, præclaris iisque sane ingenii dotibus largiter instructus est, quibus apprime opus est illis, qui in arrium scientiarumqve penetralia ac adyta descendere cupiunt. Quo quidem consilio Lipsiam jam, Deo duce, abire & sanctioribus Theologiæ studiis vacare apud animum suum statuit. Antè vero, quam oratione græca Patronis, Præceptoribus atqve amicis suis ultimum diceret

B 2

vale,

q) v. ejus A. C. T. III. Betr. XXXVII. §. 4. & Betr. XL. §. 10. m. not. Quæ de pio Arndio ejusque mortis præfagio dicuntur, lege in Jœcheri Gelehrten Lexico.

r) P. II. p. m. 68. conf. quæ P. I. de his præfagiis ab eo dicta sunt.

vale, *facta Vespasiani miracula investigabit ad l. Tacit. Libr. IV. Hist. C. LXXXI. oratione latina proſa.*

Huic ſuccedet

Jo. Georgius Vogtlaenderus, Hohenbuſſen Miſn.

Juvenis & diſcendi cupiditate & vitæ ſanctimonia vere commendabilis. Qvemadmodum enim conſiliis præceptorum ſuorum nunquam non oblequens impigrum ſe præbuit artium liberalium cultorem, quoad apud nos commoratus eſt; ita jam divinis auſpiciis Lipſiam abiturus pari ſtudio & ſolertia legum ac morum populi romani nec non juris civilis ſcientiæ ſe totum conſecrabit. Quod ut pie decenterque fiat, ante diſceſſum oratione gallica ſcholæ noſtræ vale ſuum acclamaturus carmine germanico *Titi auguſtiſſimi principis eſſatum decantabit, quo hieroſolymæ excidium non ſibi ſed divino tribuit miraculo.*

Utrique autem fauſta quævis apprecaturus

Chriſtlieb Bauhmann, Curfch-Miſn.

Juvenis pius, frugi atque modeſtus oratione germanica aget *de ſanguinis S. Januarii fluxu mirabili.*


Ac ingenii tandem & diligentia aliquod experimentum editurus

Jo. Gottlob Samſon, Nickern Miſn.

bonæ ſpei filius, qui parentum ſuorum optatis laudabiliter reſpondet, oratione latina proſa aget *de mirabili regis galliarum virtute ſtrumas ſanandi.*

Ut itaque hos oratores perbenigne audiant Patroni & Muſarum manſuetiorum Fautores, omni, qua fas eſt, obſervantia peto conſultandoque, P.P. Miſenæ. Iſtis calendis Maji.

CIO D C C L.





TENTAMINIBVS RECENTIORVM
PHILOSOPHORVM AVCTORITATE SACRI
CODICIS HYPOTHESES SVAS CONFIR-
MANTIVM NVPER EXPOSITIS
QVAEDAM ADDIT

ET

ORATIONES
IN FRANCISCANEO
MISENENSI

D. XII. MAI. A. R. S. MDCCL.

H. L. Q. C.

PVBLICE HABENDAS

PERREVERENTER INDICIT

M. ANDREAS CHRISTIANVS CLEEMANNVS,

RECTOR.

DRESDAE, LITERIS HARPETERIANIS.

52

